



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evropeae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Anglia

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1671

Capvt IX. Mitigare Catholicis Elizabetham contendunt Principes.
Exasperatur magis eorum precibus. Excommunicatur à Pio V. & Regno
deponitur, exitu infelici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10773



*Mitigare Catholicis Elizabetham contendunt
Principes. Exasperatur magis eorum precibus.
Excommunicatur à Pio V. & Regno deponitur,
exitu infelici.*

CAPVT IX.

NOST illa quæ censui, meo instituto necessario præmittenda, omitti non debent magna sed vana officia quibus Reges, ipsæque Imperator Elizabetham Catholicis placare studuerunt, impetrarique us templum vbi diuina peragerent, titu quem solum tot sæculis Angliæ vsus coluerat, scilicet Romano; vna fuit illius ad omnes, concisa, austera, rationibus amaris condita negatio; nec publici bono, nec dignitati suæ conuenire, ac vt maximè conueniret, vetari se conscientia legibus & renisa. Religionis nouæ formam non esse excogitatam in Anglia, sed ex veteri instauratam, quam instituisset Christus, docuissent Apostoli, primigenia Ecclesia, primi eius parentes, & Doctores tenuissent, scripsisque consignassent. Sic illa. Nec mitius aliquid ab ea obtinuit Pius IV. 1560. amantissimis quibus eam conuenit, & sanctissimis literis, incertumque 1561. an iis responderit. Abbatem Martinengum Pontificis nomine rogaturum, vt suos Tridentum ad Synodum Theologos mitteret, aditu regni prohibuit, quin & velut in grande Pontificis dedecus, & Rom. contemptum lanua. 1563. Ecclesiæ, & Synodi quoddam ludibrium etiamtum sedentis, Regni comitia in Parlamentum cogit, vbi iubet decerni, reos fore violatæ maiestatis si quibus tertium dicere excidisset aliam in terris esse potestatem, superiorem imperio, quo spiritali ac supremo pollebat in Anglia. 25 Feb. ann. 1569.

Crebre centibus in deterius malis Pius V. sanctissimus Pontifex ne remediis deesset quæ postrema tunc posci videbantur, ferro admouit sacram manum, anno sesquimillesimo sexagesimo nono; Elizabetham solenni diplomate denuntiauit hæreticam; à communionem fidelium extorrem; & omni dominio, dignitate, ac prærogatiuo priuatam iure; solutisque fidelitatis sacramento ipsius populis, anathematis pœna sanxit ne quis illi obedientiam præstaret. Nouum Reginæ ac regni primoribus, profundi furoris, & suspicionum inextricabilium argumentum; iis potissimum ex causis ob quas rumor ferebat Pontificem iurata in Reginam fide subiectos ei populos soluisse; causas illas haud suo quàm verè, aut cui bono, à quodam editas qui vitam scripsit Pontificis, in Elizabetham suam transtulit

ann. Camdenus cum subiunctis quæ ibidem leguntur notis.
1572.

Sed earam in præsens, & sinistri euentus, & multi, & in Religionis perniciem quotidie peiores. Eius enim primum vexatio sævum in modum incruduit, & quod antea dissimulabatur, aut leuioribus inhibebatur pœnis; in crimen euasit sanguine luendum, & Religionis dissensio in scelus maiestatis. Ignari penitus, & rudes Catholici quod aliena spectarent consilia in suspicionem trahuntur & opinionem prope certam rebellionis cum Papa, & externis Principibus iuratæ; nec iam illis animum, sed Duce[m], ad faciendum, & educendum militem deesse. Hinc illi deinceps, & premi, & opprimi, & numero minui, & obseruari haud segnius quam domestici proditores, & legum multitudine arctari, & ad omne demum tametsi leuissimum specimen expetitæ ad animi salutem opis, quod auctoritatem oleret Rom. Pontificis ad supplicia raptari. Missa quoque hinc ciuiliu[m] motuum in tractus externos semina; sollicitati populi ad defectiones, iunctæ cum Hugonotis & Lutheranis, in Scotia, Belgio, multis Galliæ locis armorum Societates, atque odiorum, subministrati cum animis duces, & copiosus militum, nauium, pecuniarum apparatus, vt quos sibi persuadebat Elizabeth ad occupandam Angliam à Papa exciri, Externi Principes, haberent apud se quod agerent, nec vacaret iis suos ambitus in alienas mittere ditiones. Sustentandis quinetiam bellis & tumultuum motibus pro pacis arbitra se gessit, & dispensatrice conditionum in Europa.

1579.

Itaque nobilis Anglus Ioannes Feltonus ipso corporis Domini solenni die, quod indicauimus Papæ anathema Episcopij portis affixerat, vbi prostitit in sequentis diei clarum mane, palam omnibus legendum; ratusque, animi pusilli, aut factum dolentis fugere, fogam spreuit quæ illi patebat perfacilis. Captus ergo, productus, confessus à tribunali duodecimvirum damnatur; trahitur ad eandem Episcopij fores; laqueo, ferro, igni (quibus soliti rebelles) vitam claudit. Sed damnosa publicè, probos Catholicos inuoluit perplexitas, ob iussam sub anathemate negari Regi-næ obedientiam, leges enim illius, & iussa detrectare, crimen erat in se spontè suscipere; defensionis loco Regi-næ abrogationem proferre Iudicibus, quid aliud, nisi rebellionem effrontem profiteri, & se carnifici tradere? quod nefas erat suspicari Pontifici vnquam in mentem venisse, cuius vnum erat propositum vt Catholicam fidem in ea Insula instauraret, nequaquam verò Catholicos suppliciiis, mortique obiiceret. Hic varij, varia, vt solet propius longius à vero, Feltoni generositatem vix vllus probabat, animosam magis quam prouidam in perspicientia malorum, quæ suo illo singulari factò ab Regina irata, eiusque Ministris in omnes accersebat. Nec dispar erat de Sanderò, & Bristos, Doctõribus Anglis iudicium; quibus facile fuit paulo post extra Angliam procul, turisq[ue] ab rabie tempestatis quàm in Catholicos mouebant saurorem; Pontificiæ huius sententiæ, defensiones edere crudiores. Hærebat & lateri lethalis aculeus quod metuerentur vt perfidi & rebelles, cum & tales

les esse vt vellent non possent; nec vellent vt maximè possent; eneruarentur tamen quasi possent, & punirentur quasi vellent quam à se calumniam nunquam amoliri potuerunt. Perplexæ piorum dubitationi consuluit Pij successor Gregorius XIII. iubens Catholicos saluis animi rebus, & diuinis obtemperare Reginæ Elizabeth, vt par erat subiectos facere; Sanderus, & Bristous, consultiores quàm ante fuerant, scriptiones suas vel suppressere tentarunt, vel de secundis editionibus controuersiam illam excludere, rei Anglicanæ nihil quicquam conducentem.

Nihil tamen Reginæ de illa decessit opinione coniurationis quam in se suamque Angliam latere reputabant in diplomate pij V. quare nec de sæuo in Catholicos odio, quicquam remittebat, nec de acerbitate legum quæ nouæ subinde in eos ferebantur. Primis Parlamenti comitijs quod an. 1571. coëit, exièrè complures, Catholicorum proborum sanguine prope omnes scriptæ. Iuat paucas obiter proferre vt intelligatur etiam atque etiam frontem illi nec ne habuerint, qui suis libris pro indubitato, toti orbi notum voluerunt Elizabetham religionis causa Catholicorum neminem damnasse vnquam, culpas in iis dumtaxat confessis grauissimas rebellionis, coniurationum, perduellij castigasse. En igitur anni septuagesimi primi, edictiones mitissimas, & elementissimas. Reconciliare hæreticum Rom. Ecclesiæ, aut reconciliari. Maiestatis violatæ crimen esto. Eundem tacitum habere, proditoris facinus data opera occultatæ. cælare Sacerdotes, & alere; inferre in Angliam Pontificia quæuis diplomata, scelus capite expiandum; Crucifixi effigies, imagines sacras, aut agnos cereos, precatorios globulos vel indulgentias, gestare aut domi habere; cum sint hæc animi argumenta, pro Ecclesia Rom. sentientis, & reuerentis potestatem Papæ, famosæ illic Præmunitionis pœnæ obnoxia sunt; exilij nempe irreuocabilis, perpetui carceris, & bonorum omnium iacturæ. Insulam egressi ad libertatem Catholicæ fidei, vbivis quærendam machinationis in regnum suspecti, bonis cadant, nisi admoniti, tempori redeant, & iudicio se sistant.

Nec erant hæc bruta fulmina, & solo cum strepitu in auras elisa, ad terrendos Catholicos, longè immaniùs sæuiebant exigendis decretis Iudices, quàm Parlamenta statuendis. Arque vt numerum taceam necatorum, stipabantur ergastula carceris Catholicorum multitudine omnis conditionis, & ætatis, nobilium maximè; & repetita serie temporum, lego illic nonnullos ab annis triginta, quosdam à quadraginta marcuisse, vt sepulci potius quàm conclusi fuisse viderentur; nisi quod ad sensum ærumnarum stupere non poterant, quibus nihilo parcius quàm proditores, incendiarij, & parricidæ premebantur, odio publico flagrantes tametsi miseri. iam exploratorum vis sagax, & odora in vestigandis eorum dictis, & nutibus, obducendisque specie scelerum, vt eorum exinde tormentis oculos pascerent, Scribæ debetur Valsingano falsarum coniurationum faberrimo; Præpositis carceri Londinensi, & quibusdam alijs de quibus Historici Protestantes, nosque opportuniùs suo loco.